PROTEUS,

Sive

de Corporum Naturalium

TRANSMUTATIONE

DISSERTATIO.

FAVENTE TRINA-MONADE,

PRÆSIDE

JOHANNE CONRADO
BROTBEQUIO, Philoſophiæ & Medicinæ
Doctore, ejusdem, ut & Phyſices in Inclytâ EBERHARDINA
Profeſſore Ordinario,

Ut ſummos in Philoſophiâ Honores acquireret,
publicæ Eruditorum cenſuræ oblata,

à

GEORGIO GEBHARDO Keppelmann/
AALENSI,

In Auditorio Philoſophorum Æſtivo

Die Menſis Iulij,

Horis ad decimam ſolitis,

ANNO
CHRISTI immutabilis
M.DC.LIX.

TUBINGÆ,
Excudebat GREGORIUS KERNER.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

VIRIS,

Nobilitate, Amplitudine, Excellentiâ, Reverentiâ,
Claritate, Conſilio, Prudentiâ, Virtute & Eruditione
utrinque concertanti, eminentibus,

DN. WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/
U. J. D. Pandectarum in inclytâ Tubingenſium Univerſitate Profeſſori Celeberrimo, &c.

DN. ADAMO UDALRICO Schmidlin/
Ordinum Provincialium Secretario graviſſimo.

DN. IOHANNI GEORGIO Keppelmann/
Aalenſis Eccleſiæ Paſtori vigilantiſſimo, & de hâc optimè merito.

DN. PHILIPPO Rieger/ Numeroſioris Nördlingenſium Senatûs Aſſeſſori prudentiſſimo; Pharmacopolæ laudatiſſimo.

Dominis Mecœnatibus, Fautoribus,
Parenti, Cognato,

in multam mei Salutem
viventibus

Diſputationem hanc,

ut gratæ mentis τεκμήριον

inſcribo

Georgius Gebhardus **Keppelmann/**
Auth. & Reſp.

Procemium.

NOn planè fruſtrà ſim, ſi erudito Lectori, Naturæ aliquod myſterium circa admirandas rerum vices rimaturus, de Perſæ & Hyperionis filiâ Æxâ Circe ex Scriptore ac Pictore illo myſtico, & Phyſicô-Poëtâ, Philoſophoque metrico Naſone verba fecero. Hæc, ſi Scriptoribus fides eſt, nomen à mixturâ habet, nulla namq; fit generatio, niſi miſceantur inter ſe per Solis calorem aqueumq; humorem, Elementa. Hinc non ſine causâ metrici Naturæ myſtes, Circen ex Hyperione ſive Sole, & ex Perſe, Oceani filiâ, progenitam finxêre. Haud ſecus illa de *Pane* fabula univerſitatem rerum: alia de *Proſerpinâ* ac *Plutone* ſpiritum utrumque: Tùm & quæ de *Hercule*, multiplices Naturæ mores ac labores: demùmque iſta de *PROTEO* admirandas rerum vices elegantiſſimè etiam repræſentat. Non poſſum hîc, quin metricum illud meum faciam, quod ſuum olim de *Proteo* Homerus, *l. 4. Odyſſ.*

Concuſſit cervice jubas Leo factus, & inde
Fit Draco terribilis, modò Sus, modò Pardalis ingens,
Alticoma aut arbor, nunc frigida defluit unda,
Nunc ignis crepitat.

Id genus artificialem *Proteum* Drebelium illum Batavum dixeris, qui in camerâ quâdam ſedens, catoptricæ & meſopticæ beneficio in varias variorum corporum figuras non tàm jucundo, quàm ſtupendo ſeſe convertebat ſpectaculo. An ergò ejusmodi de omnium Matre Naturâ æquè dixiſſe nefas erit? An abſurdum, varietatem rerum in fabulis venari? dum mutationis condimentum aliquod intermiſcet Natura, hiſtrionicam quaſi exercitura. Quia autem fabularum varietas in pluralitate conſiſtit, miſsâ hâc, quam anguſtiæ hæ non caperent, ipſos Naturæ mores, Dædaleos luſus, verſatiles figuras, indolemq; ingenioſam aggredimur. Et cùm, Erudite Lector, *Naturalium hæc Transmutatio vera* à quibusdam planè aut negetur, aut negligatur; cùm etiam dubia quædam ac controverſa

de rerum productionibus enodari ex hâc, aut illuſtrari queant; cùm inſuper utilitatis in Medicinâ præſertim, omninò non ſit expers; deniq́ue jucundâ ſui contemplatione quandam cum Creatione analogiam foveat, ejusq́ue typus quidam ſit & adumbratio; hanc puta præ cæteris arriſiſſe, viſamq́ue & rimatu & miratu digniorem.

Transmuta quamcunq́, meam, DEUS Optime, linguam,
Hæc, ut inepta priùs, nunc ſiet apta loqui.

THEOREMA I.

Quid Nominis. *Transmutationis Nomen Grammaticæ & Philoſophicæ eſt indaginis.* Ἐξήγ.

TRansmutationis Nomen paulò altiùs contemplaturis, Etymologia & Synonymia vocis, quarum utraque Grammaticis ſuos debet natales, objacet, illam pueris relinquimus, hanc ita perſequimur: *Synonymico* & cognato ſibi nomine *Transmutatio* etiam *Transformatio* dicitur, item *Tranſubſtantiatio*, non ſupernaturalis & impiè ficta illa Pontificio-
Hypomnem. rum, ſed naturalis, ab unâ ſubſtantiâ naturali in aliam, *Mutua Generatio*,
5.c.2.l. Sennerto; μεταβολὴ ἀλλήλων. Et alibi: γένεσις ἐξ ἀλλήλων, μετάβασις
1. Gen. εἰς ἄλληλα, Ariſtoteli. *Strictiùs* autem & *in Specie*, vocatur *mutatio ab*
& corr. *eſſe nobiliori in ignobilius.* *Proteum*, ut in præloquio habemus, Poëtæ di-
c.4. & l.2.c.4. xerunt veteres; & Lucianus hiſtrionem, *in Dialog de Saltat.* Philoſophicam quod concernit indaginem, largè ſumptum Transmutationis vocabulum, ſeu *Generaliſſimè*, idem ferè notat, quod motus, dicitq́ue quamli-
Carm. l.3. Od. 29. bet rei mutationem, quo ſenſu Horat. ait:

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax
Transmutat *incertos honores,*
Nunc mihi, nunc alij benigna.

Gen.18 Nec meliùs aut rectiùs quid afferunt, qui *Intermediam, Typicam, ſeu adum-*
1. ſeqq. *brativam mutationem* hoſpitari hîc volunt. Hæc verò vel *1. Divina* eſt,
Num. quâ, ſumptâ hominis formâ, DEUS apparuit, & Angeli. Vel *2. Arti-*
22,22. *ficialis*, eaque *Optica, Pictoria ſeu Sculptoria.* Jam non producam exi-
Iudic. 6,11.12 mios artis theſauros, & mirifica monumenta, res varias ad nativam faciem exprimentia. Mironem ſaltem profero, qui unus inſtar omnium,
Luc.1, 26.2,9 illuſtris artifex, penè animas hominum ferarumq́ue ære comprehendiſſe fer-

fertur. Vel 3. *Poëtica*, eaque primò *Perſonalis* Comicorum Tragicorumque: Secundò, *Mentalis & Imaginaria*, quæ potiſſimùm *metrica* eſt, circa quam præ reliquis totus occupatur in libris Metamorphoſεων, Ovidius. Hûc etiam reducimus Apologos ſeu fabulas Æſopicas, den Reinicke Fuchs vnd Froſchmäußler; Utopiam Thomæ Mori, & hujusmodi alia ex Mythiſtoriis petenda. Vel 4. *Methaphorica & Allegorica*, quâ Chriſtum Petræ, Herodem Vulpi, Epicuros Porcis, Zoilos Canibus, Thraſonem Fucis, homines verò indefeſſos formicæ, ſimplices columbæ, prudentes ſerpentibus, gratos ciconiæ, aliosque aliis rebus aſſimilamus. Vel 5. tandem *Diabolica* eſt & *præſtigioſa*, qualem Ægyptiorum Cacomagos feciſſe legimus, quorum virgæ in ſerpentes ibant. Sed hæ omnes Transmutationum ſpecies non ſunt hujus loci, ut ex dicendis conſtabit, cùm *Specialem* nos & *realem Transmutationem* velimus, ſuis etiam incluſam terminis. Non enim innuimus *Spiritualem*, utut Naturalis ſit vel Theologica, Hæcque verè Adami immortalis in mortalem, Angeli lucis in Diabolum, vel fictè, hujus in illum. Illa *Melancholica & Phantaſtica* eſt, qualis fuit ridiculi cujusdam in vitrum delirum converſi, corpori ſuo, ne ſedendo frangeretur, quietem negantis; hujus enim vi non modò prægnantes varimodas fœtibus ſuis figuras affingunt, ſed & delirantes phrenetici, modò in tritici granum, jam in butyrum, nunc quoq; in regem aut mortuum quendam ſeſe transmutatos eſſe, etiamſi inſomnes, ſomniârunt. Nec admittimus *Corpoream Hyperphyſicam*, quâ mediante, ipſe DEUS Lothi uxorem in ſtatuam ſalis convertit, Aquam in ſanguinem, Chriſtus aquam in vinum, virgam Aaron in Draconem. Sed *Phyſicam*, *non impropriè* quidem talem, & ad ſenſum ſeu apparenter, quò alteratio etiam, auctio, imminutio, & plures hujus generis ſpecies ſpectare poſſunt; verùm, *propriè ſic dictam*, *exquiſitam*, quâ totum corporis, præſertim mixti eſſe, in aliud eſſe tranſit. Ad hanc, cæteris excluſis, quàm maximè nunc collimamus.

Exod. 7, 11. *Gen. 3. v. 1. 2. Petr. 2, 4. 2. Cor. 11, 14.* *Gen. 19, 26. Exod. 7, 20. Ioh. 2. Exod. 7, 10.*

THEOREMA II.

Transmutatio Phyſica, ſi eam ſenſu Duce indagegemur, ex libro Naturæ tùm vivo, tùm ſcripto omnium certiſſima eſt. Ἐξήγ.

An ſit & detur?

Dari aliquam Transmutationem in patrio Phyſicorum foro, & verificari hanc extra mentem ipſa ſenſum experientia, & ſcriptus naturæ liber ſatis edocent; & tàm multa ſunt in hanc rem exempla, ut vel nominan-

dis iis ſat temporis non ſuppetat. Tranſeunt namque alia. I. De *Genere in genus*. Sic fiunt 1. ex vegetabilibus animalia: ita *ex pane & melle formicæ, ex lignis putridis, mures*, adeò, ut ante maturitatem captorum extrema ad viſum tactumque lignoſa appareant. Neque eſt de Siculis aut Inſulanis gerris, *putrida ligna anſerculos* ſive anates parere, quos Germani appellitant die Baumgäns. Cujus in rei fidem non Cardanum, aut Dubertam, nec Gyraldum atque Boëtium, ſed Mich. Mejerum, Haſſiæ quondam Archiatrum, utpote ocularem teſtem produco, qui in peculiari libello de volucre arboreâ edito, recenſet, ſe à Scoto quodam Medico exhibitorum ejusmodi anſerculorum, ſupra 50. in conchis ſuis latentium, vidiſſe. Accedit *Scarabæi* generatio, ingenioſa maximè & artificioſa, ille enim, uti perhibent, excremento bovis invento globulum ex eo conficit rotundum ad Cœli ſimilitudinem, quem, tergo innixus ab ortu ad occaſum rotat, ipſe Solem orientem reſpiciens, hunc defodiens, 28. diebus relinquit; & tot diebus animatum perficitur genus Scarabæorum. Eſt etiam 2. Vegetabilium in mineralia mutatio, ita in citeriore Germaniâ intra Danubium *vites* extitiſſe, quæ claviculas & plerunque candicantia folia, *ex puro auro* germinâunt, Author eſt Alexander. In Siciliâ autem & Luſatiâ *arborum truncos ferri* in incremento materiam acquirere, Jonſtonus refert. *Ligna* verò aquis nonnullis injecta, *in ſaxa* verti, etiamnum moderna docet experientia. Datur denique 3. animalium in mineralia transmutatio, id quod à Joh. Alboſio memoriæ traditur, qui fuiſſe ſcribit mulierem quampiam Senonenſem, quæ à primis nuptiis decurſo jam geſtationis tempore, graves ſed irritos partûs labores doloresque experiens, *fœtum* illum mortis ſuæ cauſam, integris 28. annis geſtabat, qui demùm à Medicis & Chirurgis exciſus, totus ferè in *lapidem* degeneratus eximebatur. Minùs prætereà eſt inſolens, *partes corporis lapideas* fieri, quas ſcirrhoſas appellant Medici, quod tympaniticis, hydropicis, hypochondriacis, aliisque in hepate ac liene haud rarò id expertis, nemo ambiguum redditurus eſt. Quin, ſi *Aventino* fides habenda, exorto olim terræ motu, 50. ruſtici, item mulgentes, cum vaccis, in ſalinas ſtatuas fuere converſi. Subjungo hîc in ſuburbio *Claremontis* Averniæ in Galliâ *fontem*, qui è rupe profluit, & in ipſo profluxu rupes producit albosque lapides, ita ut potans aliquis aquam mox lapideſcentem colico dolore crudeliſſimo enecetur. Hujusque urbis incolæ pontes extructuri ad hortos ſuos inviſendos, fontis hujus aquam, ſuper aſſeres fornicatim extructos tranſilire curant, quæ

Admirand. foſſil. c. 31.

lib. 7. annal. Bavaric.

24. ho-

24. horarum ſpatio in pontem tranſit lapideum. Ita fons & pons miro naturæ luſu eadem agnoſcunt primordia, idemque fluvius modò navigabilis, mox calcabilis, jam fluidus, illicò rigidus evadit. Sic & *fontis Gothici* effuſæ ſuper terram guttæ moveri deſinunt, ab aëre condenſantur; in lapidem in urceis abeunt *Cepuſianæ*. *II. De Specie in ſpeciem*; Cujus *Iohan.* modi ſunt 1. Mineralium inter ſe ſe mutationes, quo modo *ferrum in cuprum* *Ionſt. art. 6.* tranſire nil novi eſt, *Mercurium in plumbum*, & arte Chemicâ *ignobile metallum in aurum*. Nec video hîc, quid prohibeat, quò minùs fidem adhibeamus huic converſioni, cùm & experientia calculum ſubjiciat, quæ Sennerto, Libavio, Deinhemio, Hogelando, Zwingero, & aliis numeroſa eſt. 2. Vegetabilium in ſe invicem, cujus mutationis exempla vegetabile regnum ſubminiſtrat, ut in quo videmus, *Siſymbrium* in mentham, *triticum* in lolium, *ocymum* in ſerpillum, *hordeum* in avenam, & Verulamio teſte, *fagum* degenerare in tiliam, quâ de re & *Virgil.* cecinit. *lib. 1. Georg.*

- - - *intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,*
Lappæq́ꝫ, tribuliq́ꝫ, interq́ꝫ nitentia culta
Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.

Et paulò pòſt:

Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore
degenerare tamen.

3. Animalium in ſe mutuò; Sicque *formicæ ſeneſcentes* in muſcas alatas transformantur, & ex peditibus fiunt Pegaſi ut ex terrâ in aërem proficiſcerentur. Et *anatum ova*, ſi per menſem calore digerantur debito, in bufones transmutantur, id quod mihi accidiſſe memini, inquit *Etzlerus*. *Iſag.* Idem fatum *gallinæ* ſubeunt, araneis victitantes, quarum vel caro, vel ova *Phyſico-ma-* putrefacta araneas denuò regenerant. Huic aſſidet, quòd *in ventriculo* *gico-* *ac inteſtinis* hominum debilioribus, ut & in aliis partibus *vermes* haud *med.* infrequenti ortu ſcatere ſoleant. Sic *capilli* mulieris pollutæ men- *cap. 7.* ſtruis, referente *Io. Dan. Horſtio* ſub fimo ſepulti fiunt *ſerpentes*. Pari *Manud. ad* modo, *ex papulis variolarum*, *vermiculorum* ſyronibus ſimillimorum vividorum *Med.* & valdè rubrorum *agmen* emanâſſe ipſus vidit *Zacutus Luſitanus*. *part. 1.* Et ne quid deſit, etiam fidiſſimi illi mendicorum ſatellites unctuoſis ve- *cap. 1.* ſtium cutisque ſordibus natales ſuos debent; quibus pulices addo, tripu- *Prax.* diantes illos fœminei ſexûs carnifices, qui ex ſanguine humano procreati, *Med. admir.* ceu conſanguinea proles matres ſuas ſugunt. *lib. 3. obſ. 47.*

THEO-

Theorema III.

Quæſtio QVID SIT? ad Definitionem nos deducit, quàm per viam Geneſεως extructuri, in GENVS primò inquirimus, idq; in latiori ambitu triplex ordinamus: Superius, *quod eſt motus.* Intermedium, *Actio.* Ultimum, *Actio Naturalis & realis.*

Ἔκθεσις.

Quidditas Transmutationis ratione Generis. Tria hæc genera, ſi non brevitas placeret, viâ deſcenſûs in arbore prædicamentali per ἄρσιν ad θέσιν, procedendo de Transmutatione probare poſſemus: Sed miſſo hoc Logicorum Scrutinio confirmabimus hæc & explicabimus per certa Generum iſtorum requiſita. *Superioris Generis* probatio hæc ſit:

1. Superioris.

Quodcunq; accidens continetur terminis protenſionis & acquiſitionis à quo, per quem, & ad quem, illud eſt motus: Atqui Transmutatio continetur his terminis: Ergò, &c.

Major procedit ac ſtabilitur ex iſthoc propriô motûs requiſito. *Minor* certa eſt, quoniam hîc ſeſe offerunt circa ſubjectum transmutabile. 1. Corruptio priſtinæ naturæ. 2. Novæ formæ introducendæ initium & augmentum. 3. Plena ejusdem acquiſitio, & quieta poſſeſſio.

2. Intermedii. GENUS *intermedium* ita aſtruimus:

Quodcunq; fluit ex motrice vi ſive energiâ transmutantis, illud formaliter eſt actio: Atqui Transmutatio fluit, &c. Ergò, &c.

Majorem ut veram ſupponimus, & ſuâ luce radiantem. *Minorem* neganti probabimus. Sed *notanter* addimus, eſſe actionem ſimplicem, cùm formarum propriè ſit impaſſibilitas. At nihilominùs formam in formam aliam quodammodo agere aſſerimus. Neque dicimus, eſſe actionem immanentem, quæ in agente: ſed tranſeuntem, eamque partialem, quâ forma extranea, quoad eſſentiam, agit in diverſam internamque mixti cujusdam corporis formam ac materiam; nihil enim, ut Philoſophorum habet canon, in ſe ipſum agit. Et, ut ipſe Ariſtoteles innuit, in nullâ generatione ſubſtantiali idem ſubjectum ſenſibile utriusque formæ, acquiſitæ ſcilicet & deperditæ manere poteſt. *l. 1. gen. & corr. cap. 4. t. 23.*

2. Vltimi. *Vltimum* GENUS probamus hoc modo:

Quæcunq; energia ſive actio ex parte principij, ſubjecti & effectuum naturalem

ralem & realem præſtat & arguit influxum, illa quoq; naturalis & realis dicenda venit: Atqui transmutatio eſt talis energia, quæ, &c. Ergò, &c.

Major per ſe conſtat, ex formali actionis illius charactere. *Minorem* ſenſus quotidiè probant, & exemplorum ſupra enumeratorum, plurimorumquè vix enarrabilium farrago confirmat.

THEOREMA IV.

Preſsiùs ad rem; *Poſt Actionem naturalem GENUS* remotum *nobis eſt Mutatio.* Propinquum, *mutatio Subſtantialis ad eſſe, h. e. generatio.* Proximum, *generatio ſecundaria.*

Ἔκθεσις.

Mutationis notatio, definitio, cauſæ & requiſita ad transmutationem applicata id probant, ſic enim argumentamur: *1. Generis remoti.*

Cuicunq; actioni competit mutationis notatio & definitio, illi & ipſa competit mutatio: Atqui Transmutationi, &c. Ergò, &c.

Major ex Logicis roboratur. *Minorem* partim nominalis derivatio: partim ipſa requiſitorum mutationis realis applicatio ſponte probant, quod & in ſubſequentibus clariùs docebitur. 2. *Propinquum* quod attinet GENUS; *2. Propinqui.* quid obſtat quò minùs de Transmutatione in quid prædicetur *generatio?* cùm pariter mutatio ſit ſubſtantialis, in quâ, ſpecificâ corporis naturalis formâ quaſi *ſepultâ*, nova reſurgit. Porrò, hanc ipſam Transmutationem in ſpecie *ſecundariam* dicimus *generationem*, *3. Proximi.* quia non ſimpliciter à non eſſe ad eſſe, ſed comparatè ſaltem, h. e. ab alio eſſe ſubſtantiali determinato & ſpecifico ad aliud tale pertranſit. Differt ergò hæc, à primariâ generatione, quòd Transmutatio præter regiam, ordinariam atque receptiſſimam utriusque Naturæ legem ac viam progrediatur. Neque tamen obinde, contra naturam ubique eam fieri judicandum eſt. Nunquid enim Naturæ oculus ad altiorem nobilioremque ſemper collimat ſcopum? Atqui in Transmutatione perſæpè vides viliorem ſubſtantiam tranſire in longè meliorem, triticum in papilionem, limum in animalcula, plumbum in aurum. Sed dices: *Degenerationem* nobilioris in ignobilius quiddam, etiam eſſe transmutationem, eamquè tamen verè contra naturam eſſe. Eſt ita, & non eſt, regerimus, Naturæ enim intentio nun-

quam erroris arguenda, nec error extra naturale agens commiſſus, eidem imputandus. Oculus hîc imponit, opinio fallit, inſcitia facilè credit ac decipitur. Quin, licet demus aliquid, nos tamen degenerationem illam nolumus eſſe legitimam, ſed illegitimam Transmutationis filiam, nullis, ſi Mopſum ac Therſitem exceperis, procis dignam. Atque ſic evidens eſt, novam, intermediam & tertiam quandam mutationis ſubſtantialis ſpeciem dari.

THEOREMA V.

Quidditas rationi Subjecti.

Differentiam ſpecificam *pariunt Subjectum & cauſa.* Subjectum denominationis *eſt corpus naturale, & quidem præcipuè* mixtum.

Ἔκθεσις.

Subjectum Transmutationis dicimus *corpus naturale*, excluſis illis ſubſtantiis, quæ hujus non ſunt fori, &, quæ non, niſi à ſolâ DEI virtute per potentiam aliquam obedientialem mutari poſſunt. Et quidem *mixtum*, quia ſimplice non gaudet materiâ, ſed multiplici, in quo tantum à nuditate & ruditate elementorum factus eſt in ſortem altiorem tranſitus, ut corpus mixtum viliore unius elementi veſte non contentum, variegatam & ex pluribus contextam quandam togam non ſine novâ & condignâ formâ induerit. Atque hoc modo mixtum omne alterabili, ſegregabili, congregabili, h. e. variè mutabili materiâ, non absque ſingulari naturæ conſilio, conſtat. *Præcipuè* dicimus: quia *aquam* noſtram ſublunarem, utpote limoſam, *panſpermiam* ab antiquis vocatam non prorſus excludimus. Si enim ex D. Petri ſententiâ Terra cum terrenis omnibus ex aquâ vel per aquam conſtitit: Si primigenium omnium rerum ſemen juxta Moſen nil niſi abyſſus fuit aquea, jam res erit in propatulo; Et, quid eſt ſemen omnium metallorum, vegetabilium ac animalium, niſi ſucciplena & coagulata quædam humida maſſa? quodnam eſt alimentum tenuiſſimis plantarum fibris, fibrarumque poris ſe-inſinuans, niſi vapor quidam ſubtiliſſimus? Hinc ferri una ex Canariis Inſula caret aquâ, ſed arborem habet, cui in Terrarum Orbe nulla eſt ſimilis, ſupra cujus verticem ſuſpenſa ſemper nubes hæret, quæ perpetuæ viriditatis cauſa eſt foliis ejus, è quibus tanta aquarum deſtillat vis, ut veriſimile ſit, arborem hanc, aquâ à radicibus largiter attractâ, inturgeſcere. Addo etiam illud, quòd cùm idem ſit geneſeωs & analyſeωs radicale ſubjectum, non poſſe non aquam pro potiſſimâ

tiſſimâ rerum materiâ cenſeri, quia in eandem viâ non tàm naturæ, quàm & Artis omnia reſolvi queunt. Nec *Terram* exeſſe jubemus, ſed pinguem ſucculentam, fœcundam, omnia etenim elementa in ſe ſe recondita gerit, variasq; formas: id quod edocent partim ex hiſce duobus elementis creata omnis generis mixta, partim & hodiè ſpontè nata animalcula & vegetabilia.

Theorema VI.

Pro Subjecto informationis remoto, *corpus perfectè mixtum, in certâ ſpecie jam conſtitutum inprimis agnoſcimus.*

Ἐξήγησις.

Ut ut multa ſint de Transmutatione Philoſophorum placita: in hoc tamen omnes conveniunt, ut *mixtum* duntaxat *corpus* pro informationis ſubjecto venditent. Sic Porphyrius ex Terræ viſceribus aquâ madefactis, & vi Solis in eis intruſâ, animalium genera procreari cenſuit; & ſtatim aſſenſum dedit, Archelaus Athenienſis, Anaxagoras Clazomenius, & Euripides ejus diſcipulus. Nos mixto non contenti (ſolidiùs enim philoſophandum eſt) *perfectè mixtum* volumus, & ſuâ jam ſpecie determinatum, idque rationibus moti præſentiſſimis. Cùm enim *ſenſus ipſi & experientia* multiplex, prout enumerata Theor. II. exempla habent, contrarium non ſint probatura: Sententiam hanc, ut ſuis minimè viduatam viribus, civitate donamus. Accedit, quod ſubjectum & res quælibet in *ſignificatione famoſiori* apud Philoſophos primas ſemper duxerit, reliquis inferioribus & analogicis unà incluſis. Quia quoque hujus ceu perfectioris & famoſioris *actio* pariter & *effectus* talis eſt, ob perfectiora & potentiora mutationis principia, merito calculum adjicimus ei, quam tetigi modò, opinioni. Jam verò & *cognitio* ejusmodi mutationis *famoſior*, notatu rimatu, miratuq; dignior conſequitur, & neſcit non *utilitatis luciq; multùm* conferre *in artes Transmutationi deditas.* Nam à perfectiori norma deſumenda eſt, quæ plurimæ deinde majeſtatis atq; veritatis compos qualitates rerum ac proprietates imò totius Naturæ cognitionem, & ad artes applicationem, non ſine admiratione edoceat. Sic enim ex *Ariſtotele* in Mechanicis Jo. Bapt. Porta ait: *Architecti inſtrumenta fabricant, celantes principia illius, quæ admirationem præſtant.* Utque lucernam quidam extinxit, ac rurſus muro vel lapidi admovens, accendebat, ceu rem mirandam, tunc *Mag. Natural. l. 1. cap. 3.*

 autem

autem illud mirum videri deſiit, inquit Galenus, quùm ſulphure contactum reperiêre: ita mirum in naturâ quid videri poterit, ſi verò norma hæc adhibeatur, hoc nihil minus.

THEOREMA VII.

Subjectum propinquum *idem eſt perfectè mixtum, ſed quà mutabile. Et hoc ipſum, quatenùs in aliud formaliter & ſubſtantialiter mutabile eſt*, proximi *ſubjecti partes explebit.*

Ἐξήγ.

Commune hîc eſt corpus *perfectè mixtum*, at neutiquam quà tale, quia in ſe ſe unione ſemper gaudet, ſuique conſervationem expoſcit perennem, & è contrario ab omni mutatione alienum eſt. Verùm, *quà mutabile* aliam induit faciem, ſic enim vel in qualitatibus ſuis alterationi & coctioni; vel in quantitatis terminis auctioni ac diminutioni; vel in miſcibilibus principiis ſeparationi ſeu corruptioni; vel deniquè transmutationi, *quà totam ſubſtantiam ſalvâ adhuc mixtione & unione aliquâ miſcibilium* obnoxium eſt. Quod rationes evincunt non leves: Mutabilitas enim in genere petitur à cauſis, quarum 1. agens eſt forma, per accidens tamen, & calor internus mutatus à cauſis externis præviis & concurrentibus, quatenùs nimirùm mixtionis principia non amplius, ut ante, ab his reguntur & conſervantur, ſed propter externas cauſas, vel impedientes, vel alio modo præter naturam lædentes, inter ſe invicem mutantur. 2. Patiens, ipſum mixtum facilè diſpoſitum ad impreſſionem ſuſcipiendam, propter Elementa à ſe invicem & inter ſe ſe mutabilia, præſertim ſi dyscraſia quædam oborta fuerit. Stantibus hiſce non video, cur ex parte ſubjecti in alio cauſarum aucupio hallucinari velimus. Tandem *ſubſtantialiter mutabile* eſſe oportet: quia 1. Terminus Transmutationis non eſt alteratio, nec quantitatis mutatio, nec corruptio, ſed novi corporis conſtitutio, adeoque generatio, novæque formæ introductio in eandem numero materiam, ita, ut ex omnibus unum quiddam ſit factum, à componentium naturâ diverſum, formamq; poſſideat, à formis componentium prorſus differentem. 2. Forma transmutans in procinctu adeſt, cum omni cauſarum mediorumque ſibi ancillantium apparatu. 3. Forma priſtina facilè ſubjugabilis in cauſis & mediis ſibi hactenus inſervientibus deſeritur, & à no-

vâ ſuperveniente quaſi in vincula conjicitur. E. Materialia mixti principia, tanquam mancipia, fortioria genti promptè ad nutum ſtant & inſerviunt. Adeòque 5. adæquata proportio inter effectum & ſubjectum ex his omnibus evidenter innoteſcit.

Theorema VIII.

Subjectum hoc duobus *potiſſimùm* requiſitis *hiſce circumſcriptum eſto: 1. Eſſe numero unum. 2. Pluribus formis inſtructum eſſe.*

Ἐξήγ.

Prius Subjecti requiſitum ſtat hoc talo:

Cujuscunq; Subjecti actio eſt immanens, & impropriè ſive ſecundùm quid tantùm tranſiens illud unum eſt numero: Atqui Subjecti hujus actio transmutatoria eſt immanens; &c. Ergò, &c.

Majorem Philoſophi probant, qui actionem talem ad unum ſubjectum reſtringunt. *Minorem* ſenſus defendunt & exempla. Non verò unicum hoc tantùm pro aſſerto noſtro militat, ſed & alia. Hîc enim 2. tranſitus fit non ex uno in aliud, ſed omnes termini motûs ex uno, in uno, per unum, ad unum idemque ſubjectum ſenſibile collimant, & in eodem concentrantur; ita ut quocunque te vertas, non tamen agentis energiam, circulum & ſphæram ſubjecti ſui egredi videas. 3. Agens ſeu transmutans externum principale, & adæquatum, nullum poteſt oſtendi. 4. Effectus non relinquitur numero alius, velut in propagatione, prout ex ſenſu liquet; Negligentiâ enim vel cultûs mangonio plantas & alia plura à ſuâ naurâ deſciſcere, & in aliud permeare genus, manere verò idem, quod ante fuerat, unumque numero ſubjectum quotidianâ videmus experientiâ.

Poſterius requiſitum ſic ſtabilimus:

Ex quocunq; Subjecto diverſi totâ ſpecie, totoq; genere producuntur effectus, eidem plures inſunt formæ: Atqui ex Transmutationis Subjecto totâ ſpecie totoq; genere diverſi, &c. Ergò, &c.

Majorem probo: quia determinati effectus determinata eſt cauſa; vel, formaliter diſtincti effectus, tot talesq; præſupponunt cauſas formales. Formas autem ſubintellectas hîc volumus ſubordinatas, & accidentales varias. *Minorem* ingenuus atque ingenioſus quisque concedet. Imò, qui per tranſennam duntaxat Naturæ theatrum, magnæque matris officinam

inſpexit, nec ἀναισθησίᾳ laborat, luculentiſſimis mox convictus erit exemplis, quorum ſat multam Theoremate II. exhibuimus ſuppellectilem.

Theorema IX.

In Phyſicâ cauſarum *ſcalâ, deſcendimus* à Generali ad Specialem. Illa *eſt Natura non cudens ſemper, ſed & nonnunquam ludens.*

Ἐξήγησις.

Licet DEUM τὸ αἴτιον τῶν ὄντων omnia civitatis hujus mundanæ mœnia turresque infinitè ſuperantem, tacitè paſſim præſupponamus; in hujus laudes tamen illuſtre hoc Scaligeri encomium prælibamus: *Deus, Deus, ô viri optimi, neq; otioſus, neq; negotioſus, neq; in opere, neq; extra opus: ſed ſine operâ operis caput, principium, medium, finis, totum, &, ut uno verbo omnia tùm expleam, tùm ambiam, tùm ſuperam, IPSE: cujus ſimpliciſſimâ atque indiviſibili intellectione ſeculi facta univerſa: ita ſuum quæq; finem atq; ordinem omnia nanciſcuntur.* Hujus enim ſolius nutu, quod omnes ſanæ mentis concedunt, omnia regi; ab eodem etiam, ut efficiente causâ, pendere neceſſum eſt. Quâ in re gentiles Philoſophi plerique deficiunt, aut valdè jejuni ſunt, vel nullam, vel brevem ſaltem mentionem DEI facientes; ſicque non abs re cenſuram Socratis incurrunt, qui, dum paulò ante mortem, apud Platonem in Phœdone, ex quodam Anaxagoræ libro audiviſſet, mentem eſſe, quæ omnia ordine diſponat, regatque, & cauſa ſit omnium, graviſſimè, dixit, errare eos, qui in cauſis ſecundis immorantur, primas verò negligunt. Jam verò & eam *naturæ* largimur indolem, ut non ad ſeria duntaxat nata ſit, ſed & varietate agendi, aut luſu quodam delectetur, ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem rerum aſpiciamus mutationem. In quo opere divinæ omnipotentiæ & ſapientiæ impreſſum ſibi characterem & libertatem quandam aliud atque aliud agendi cum admiratione & delectatione oſtendit. Deinde, artis & induſtriæ humanæ æmula ſeu Mima eſt. Mundus enim Amphitheatrum, Natura actrix, corpora naturalia perſonæ ſunt. *Et ut ſolent Comœdiis ſeriis jocoſa admiſceri interſcenia, arduis negotiis ludicra, ſolitis admiranda, frequentioribus rariora; utq; in Muſicis videtur, chordâ qui ſemper oberrat eâdem; nec in hiſtrionicâ unus ſemper in omnibus modus probatur: ita Natura, ne omninò fatalis, ac nunquam aliter agere, quàm ordinariè potens in ſuis operibus videatur, extraor-*

l. 2. de plant.

Mich. Majer. de volucre arbor. in præfat.

traordinarios quandoq; effectus producit, quales ſunt non ipſius errores, monſtra: ſed potius luſus, & quaſi naturalia miracula, non, quòd illa ludat, (multò minùs ipſe DEVS, quod impium eſſe dicere aut cogitare) ſed qui noſtri reſpectu ſit hilaris quædam recreatio, & à communi operum ſeriorum viâ ſeceſſio. Natura tandem ad bonum ſemper inclinans, totalem natorum ſuorum corruptionem, tanquam malum Phyſicum abhorret, & quoad in viribus eſt, vel omninò tuetur, vel ad alium non prorſus indignum ſtatum traducit. Antequam planè expiret, vires generationis adhuc ſuperſtites exerit. Non enim uno ſaltu ad extremum tendit interitum, ſed in medio curſu adhuc negotioſa eſt. Si ad ſumma non datur aſcenſus, ſufficit ei in ſecundis, imò & in infimis rerum ſubſelliis acquieſcere. Atque tùm quaſi ludens, fictoris & ſculptoris inſtar, ex cerâ & marmore ſuo alias atque alias effingit imagines. Diabolo nonnulli quoque licentiam & poteſtatem transmutandi concedunt. Verùm deceptor & impoſtor ille, quia præſtigiis perſæpè ludit, in ſcenam hanc tali ratione recipiendus non eſt. Hinc hominum in bruta converſiones ludibria ſunt.

THEOREMA X.

In ſpecie *cauſarum alia* per ſe, *alia* per accidens *ad hoc opus concurrit. Prioris generis ſunt:* Efficiens, *forma, materia, finis. Prima* in externam *ac internam dividitur. Illius ſpecies ſunt tres, nimirum, cauſa remota, propinqua, & proxima.* Remotam principali *nomine, aſtrali energiæ;* Adminiſtro *jure, artis induſtriæ adſcribimus.*

Ἐξήγ.

In directâ naturalium agentium lineâ *primas tenent aſtra*, Solis præſertim & Lunæ influxus, verno & æſtivo tempore patentes & potentes. Calore ſuo energitico, & peculiariter ſympathico, cauſas inferiorum intus latentes excitant, evocant, moderantur. Cùmq; nihil ſeipſum ſponte moveat, exceptis animalibus, & ita primo quodam movente & excitante ad agendum, in Phyſico circulo opus ſit: non dubium reor ab æthereâ naturâ vim quandam illabi. Hinc *Solem* vocat Orpheus vitæ lumen, Heraclitus fontem cœleſtis lucis, Plato cœleſtem ignem, ſempiternum animal,

aſtrum

aſtrum animatum maximum & diurnum, Phyſici cor Cœli vocant. Aſſertque Plotinus, ab antiquis Solem DEI loco eſſe veneratum. Nec minus *Luna* ſuâ virtute operatur, cùm peculiarior nobis ſit & affinior. Albumaſar per Solem & Lunam omnibus vim infundi, inſinuarique dixit; doctiſſimus Hermes poſt DEUM Solem, & Lunam viventium omnium vitam eſſe. Hæc terris citima, cæteros Planetas vicinitate exſuperans, humidorum domina, & conciliatrix eſt, & cum eâ tantam habent affinitatem, ut animata inanimataque illius incrementa & damna ſentiant. Quòd ſi hæc æquo animo perſpexeris, quis non præconſpicuas omnium inferiorum cauſas ſidera ipſa eſſe conjiciet? *Ars* inſuper tàm ſubjecta invicem copulando, quàm adminicula varia ſubminiſtrando, & obſtacula quævis commodè ſubmovendo, transmutationis opus adjuvat. Ubi tamen peculiari & naturæ conſonâ opus eſt methodo, Artis enim eſt, Naturam ceu ducem & lucem ſequi præviam; ſicque conſpirent ars & natura harmonicè, cùm & Horatio dicente,

- - - - - - - - - alterius ſic
Altera poſcat opem res, & conſpiret amicè.

Hâc viâ metallorum ignobilium in aurum converſio à non nemine effectui data eſt. Hoc pacto, Coryli baculus, Mercurio Lunæ juncto, decerptus, & caprino lacte irroratus, artificioſè procedendo, ſpatio unius menſis, per putrefactionem debitam, in ſerpentem album, atteſtante *Ezlero,* convertitur. Hæc & hujusmodi alia, Magiæ naturalis ſplendida & miratu digna ſunt ſpecimina. Sed & ille, DEI ac Naturæ Mimus, mille artifex Dæmon, virium operumque Naturæ callentiſſimus, dubio procul, veras & reales interdum metamorphoſes Naturæ ope, peragit; DEO quidèm frena ipſi laxante. Quis enim dubitare auſit, artis transmutatoriæ ipſum eſſe accuratè gnarum? Hanc per mancipia ſua, per Sagas, Cacomagos, Cingarosque ſuos ſcitè exercere novit, & hucusque exercuit, & adhucdum peſſimè ac nocentiſſimè exercet. Abſit autem, hoc uti Magiſtro, qui divinæ imaginis, in ſuam maledictam transmutationẽ, diſcipulos tandem ſuos diſperdit, æternoque ſupplicio addicat.

Iſagog. Phyſico-m. m. c. 6.

THEOREMA XI.

Propinquam *cauſam ſubire poteſt matrix ſive locus & focus, qui modò maternus & domeſticus; modò alienus ſive peregrinus eſt, utrobiq; autem varimodè affectus.*

E'ξήγη-

Ἐξήγησις.

Non rarò errare iis contingit, qui locorum diverſitatem in variis rerum mutationibus operantem vel negligunt planè, vel pleno perpendunt ventre. Rectiùs autem Conimbricenſes: *Confert Regionum locorumq́ ſitus: non ſolùm quia ſydera aliter in unam Mundi partem, aliter in aliam influunt: ſed quia ipſa Soli affectio compoſitioq́, quam patet non ubiq́ eandem eſſe, diverſo modo corpora immutat.* Si enim Terra una ab altera non differret, tunc omnis ferret tellus omnia, nec India ſaltem ebur, nec Sabæorum modò Arabumque fundi thus & aurum; ſed omnis paſſim Regio iſta progigneret cuncta, & cum his alia plurima. Haud ergò eadem omnibus eſt patria, neque quibusvis ſua perpetua manet, ſed & nonnunquam ſolum vertere aut exilium ſubire coguntur. Quod itaque noſtrum concernit ſcopum, de *domeſticâ* Transmutationis ſede certa res eſt, quia triticum in agro & granario; herbæ in eodem horto; infans in utero in lapidem, chylus in inteſtinis in vermes, permutantur. De *peregrino* ſitu ſinuque res longè certior, quod ſuis jam pridem conſtitit exemplis. Officina autem huic Proteo eſt multiplex. Et 1. quidem *Aër*, in quo ritè diſpoſito cruca mutatur in papilionem, papilio in chryſalidem. Inque ipſis nubibus ejusmodi metamorphoſes fieri, pluviæ oſtendunt inſolitæ, cum quibus gravia corpora, uti mus ille Norwegicus, Lemmer vocatus, haud rarò deſcendit. 2. *Aqua*, variis qualitatibus & ſubſtantiis impraegnata. Hinc in fluviis nonnullis ligna & alia corpora in lapides mutantur. 3. *Terra*, quæ communiſſima omnis generis mutationum mater eſt. 4. *Corpora mixta*, præſertim vegetabilia & animalia. Ita in animalibus ſanguis & chylus putreſcentes ſæpius in vermes abeunt, in pulices & pediculos; partes ſolidæ & viſcera in lapides & ſcirrhos, quod ſatis teſtantur calculi renum, veſicæ, aliarumque partium. 5. Denique *Ignis*, qui artificiale potiùs quàm naturale talibus effectis & operibus, domicilium & laboratorium præbet; prout Spagyricis maximè notum eſt, qui furnos & tigilla ſua ad metallorum transmutationes adhibent. In his itaque ſingulis cùm frequenter fiant generationes ſpontaneæ, quidni etiam ſecundariæ per transmutationem? quia utrumque ejusdem naturæ opus eſt, ſub eodem genere comprehenſum. Argumentamur ergò à pari: Ubi generatio primaria poteſt fieri, ibi etiam ſecundaria: natura nempe hîc & illîc iisdem communibus opus habet viribus, quæ tamen haud ita ægrè aliorſum flectuntur, ſi diverſum quoddam ſpeciale agens acceſſerit. Idque ex quotidianis fermè transplantationum exemplis clariùs innoteſcit.

l. 2. de gen. & corr. c. 8. q. 4. art. 1.

Muſæi Wormiani l. 3. c. 23.

C THEO-

Theorema XII.

Pro Proximâ *inter externas cauſâ, agnoſcimus peculiarem & proportionatam quandam loci qualitatem, jam jam in Tranſmutationis ſubjectum agentem.*

Ἐξήγησις.

In Theoremate proximè antegreſſo, nudam qualitatis corpori locanti, ſeu loco ambienti inhærentis mentionem fecimus, nunc ad actum quendam, ut eas ducamus, & cum ſubjecto tranſmutabili conferamus, ad illud applicemus, ac determinemus, conſequens eſt. Hanc autem loci ἐνέργειαν nolumus hîc intellectam, tanquam impreſſam, ſed imprimendam: quia in motu & fieri adhuc, nondum in quiete & facto eſſe conſiſtit; & ſic portas impugnat, nondum verò expugnavit. Per ejuſmodi ergò qualitates locus tranſmutativus, hoc eſt, ad tranſmutationem idoneus redditur. Et quidem maternus locus, modò per aſtrales, modò per ſubterraneas, jam per alias aliunde hauſtas impreſſiones diverſimodè eſt efficax. Aliena verò matrix ſuâ naturâ tali inſtructa eſt indole, armiſque ad alterandum paratis potenter prædita. At porrò in ſpecie hæc attendenda ſunt: 1. Materia informata tàm ſeminalis, quàm alimentalis loco ſuo immerſa, quarum illa affluens remota ad efficiendam, hæc ad perficiendam & continuandam tranſmutationem potis eſt. 2. Spiritus effluens è materia, & influens in tranſmutabile ſubjectum, hujus tamen ſuperficiem ſaltem lambendo, nondum penitiùs ſe immittendo, & in viſcera graſſando. Spiritus nimirum hic vehiculum ſimul, atque manus eſt qualitatis ſibi concreditæ. Et hinc 3. qualitas ipſa, quæ ultimum impellit arietem; & quidem tàm manifeſta, calor præcipuè & humiditas, quàm occulta ſeu formalis. Illius indifferens, hujus determinata eſt actio. Qualis ergò erit forma, materia, ſpiritus, & qualitas loci; Talis & inde emergit pro ſubjecti indole tranſmutata proles. *Hinc*, ut Franciſcus Baco docet, *frequenti uſu comprobatum eſt plantas ex culturæ defectu degenerantes evileſcere in eadem ſpecie; adeo interdum ut ſequatur mutatio ſpeciei. Et magnoperè huc facit tranſplantatio, & in coloniam velut maligniorem deductio.* Sic triticum in terram minus diſpoſitam projectum degenerat lolium. Ferrum vel in terram, vel in aquam vitriolatam projectum, in cuprum vertitur. Et ex lignis in aquâ ſaxosâ cotes fieri, experimento vulgi conſtat. Hinc in Hybernia la-

Sylv. ſylvar. Cent.6 §. 518.

cus

cus eſt foliorum & graminis impatiens, in quo ſi lignum vel baculus defixus certo temporis ſpatio ſteterit, pars ima quæ terram tetigerit, in lapidem, pars altera, quæ aquam, in ferrum convertitur, pars tertia baculi ab aquis prominens lignum permanet.

THEOREMA XIII.

Internarum *cauſarum* per ſe *duæ ſunt*: Diſpoſitiva ſubjecti *& perfectiva effecti. Illa ſubdividitur in* remotam, *quæ cauſam proximam externam ſubjecto jam impreſſam inſinuat; Et in* proximam, *quæ ultimam ſubjecti diſpoſitionem importat.*

Ἔκθεσις.

DEUS & natura non committunt ſaltum, ſed de gradu in gradum, à ſuperficie ad centrum, ab externis ad interna, à rudimento ad complementũ tranſeunt. Hoc in transmutatione evidens eſt. Namq; 1. prædictæ modo *qualitates matricis* peculiares, ab & in ſubjecto transmutabili proportionato *recipiuntur*, receptæ impreſſæq; *retinentur*, retentæ verò 2. quoniam iis haud licet eſſe otioſis, illicò, vi formæ ſuæ, præſentem qualitatum unitarum ſyzygiam impugnare, turbare, vincere, & ad ſui nutum contemperare; hoc eſt, alteratrice energia ſua *priſtinam temperiem mutare*, novamque inducere moliuntur. Temperie jam everſa, mox 3. prona in divortium aguntur proximi ordinis *elementa*, quæ iterato iſto qualitatum externarum, vel ariete incuſſo, vel clave adulterina, ſubdolove magnete adaptatis, tandem aperiuntur, *ſolvuntur*, & tantum non prorſus à ſe invicem disjunguntur, ſuosque ad penates ablegantur. Facta hac per alterationem ac fermentationem, elementaris unionis ſolutione, neceſſum eſt, ut 4. tota ſimul partium heterogenearum in corpore organico, diaplaſis, ſive *Geometrica ſtructura corruat*, & jam noviſſimè, 5. *maſſa quædam indigeſta*, (quam nonnulli limum ſpermaticum vocant) ad negotium hocce *idonea prodeat*. His omnibus à limine tentatis & præſtitis, facilima jam patet via, *ſubjectique diſpoſitio ultima* ad aliquam novæ formæ vel receptionem, vel manifeſtationem.

 THEO-

THEOREMA XIV.

Altera, perfectiva effecti *cauſa eſt* forma *principalis transmutans, & hæc vel aliunde* inducta, *vel ante latens* educta.

Ἐξήγ.

I. Ad quamcunque mixtionem & generationem forma rectrice opus eſt. Cum itaque priſtina forma eſſentialis, vel in exilium miſſa domicilium ſuum reliquerit; vel veroſimilius, in penitiorem ejus quaſi carcerem detruſa, ac ſubjugata fuerit, quam tunc ſubordinatam appellare ſolent, *neceſſum eſt, novam quandam regiminis alicujus capacem formam ſuccedere. Faceſſere* autem *jubemus* hîc, *formam priſtinam* ſive ſuperſtitem, prout viribus externam ſaltem formam transmutandi donata eſt. Repudiamus pari pacto formam *partialem*, cujus vires non altè ſatis aſſurgunt. Neq; ſollicitamus *ætheream, aſtralemq́;* formam, utpote à ſpecifico informationis charactere alienam. *Spiritum* etiam *univerſalem*, qui quidem ceu Naturæ plenipotentiarius eſt, imparem atque impotentem invenimus; officium nempe ejus non herile, ſed ſervile eſt, non imperativum ac perfectivum, ſed obtemperativum atque miniſtrativum eſt. *Adoptamus* verò vel *ſubordinatam*, vel *accidentariam* quampiam formam, quæ ſola transmutativa ab officio, nova ab origine, principalis à dignitate ac poteſtate dici meretur. Eaque jam præexiſtens, tanquam energitica & cauſalis, non ut eſſentialis vel accidentalis hîc æſtimari cupit. II. Sciſcitanti autem, *cujas genus, unde domo ſit hæc forma?* reponimus, illam hodie, quà immediatam ſui originem, nec à Deo, nec ab intelligentiis, neq; à cœlo, aut anima Mundi, neq; à terræ vel aquæ, divinâ quadam vi implantatâ natales ſuos ducere; ſed uti, theorema loquitur, *vel inductioni, vel eductioni ſuum adſcribere exortum.* Cum n. forma iſthæc jam exiſtat, cum jam extra cauſas ſuas emerſerit; cum propria & actuali nunc fruatur eſſentia ac virtute, ſupereſt ut exiſtendi duntaxat originem in ipſo transmutationis ſubjecto ſcrutemur. Hoc itaque ſubjectum, formam illam, aut jam reconditam geſtare, aut aliunde communicatam accepiſſe oportet. Si prius, tunc opus erit eductione; Si poſterius, tunc forma ortum traxit inductione. *Eductio* illa, nil aliud eſt quam formæ ſubordinatæ, vel accidentalis, ex centro in ſuperficiem; ex orco Hippocratico in lucem; ex carcere in libertatem; ex materiæ gremio, in Mundi theatrum aſſertio atque manifeſtatio. *Actus* nimirum

rum *exiſtentiæ, in actum formalitatis & energiæ elevari debet.* Atque hoc modo etiam, formæ è potentia materiæ eductio intellecta, nil abſurdi vel falſi pariet. Exempla eductionis hujus ubique obvia ſunt. Unde enim ex anatum ovis bufones, niſi ex horum in illis latente forma? unde nam araneæ ex gallinarum carnibus exortæ, niſi ex illarum in his delitescente & evocata tandem forma? De *Inductione* formarum, res pariter extra dubium eſt. Si namque conſtet, nec per creationem, nec per formæ in aliam mutationem, neque per propagationem, neque per eductionem formæ, transmutationem fuiſſe factam, jam ſupereſt ejusdem inductio, quam non modo receptione ſeu aſſumptione, ſed & communicatione formæ tranſmutativæ junctim peractam eſſe oportet. Communicatio autem hæc ab alio quidem fit, non tamen per nudam infuſionem à cœlo & aſtris, aliisve corporibus; neque per aſſiſtentiam à ſpiritibus, qua hi ipſi quandoque corporibus inſinuati, effectuum inuſitatorum cauſæ ſunt, ſed *per ſeminalis materiæ ſive tincturæ transfuſionem, conjunctionem, intimamq; unionem, tam perichoriſticam, quam parachoriſticam,* idque porrò tum naturæ, tum artis ope; *Naturæ* quidem, quando vel ſua ſponte, vel caſu quodam ſeminalis ejusmodi maſſa, & ſubjectum transmutabile, per corporeum contactum ſeſe complectuntur ac permeant. Hoc pacto ferrum, in cupri mineris, vel in aquis vitriolatis in cuprum tranſit. Sic & ligna in aquis ſaxoſis, lapidem induunt. *Artis* autem induſtria, idem ſeminale & radicale principium unà cum forma ſua ſpecifica elicitur, & cum transmutando corpore ritè ac ſcitè præparato ingenioſè copulatur, fovetur, tandemque transformatur; Vel etiam, in homogeneis corporibus, qualia ſunt metalla, uno eodemque actu perfecta unio atque transmutatio ſe ſiſtere poteſt. Hac via Philoſophi illi per ignem, & Chryſopœi variam metallorum, inter ſeſe, ac in aurum potiſſimum converſionem effeciſſe perhibentur. Hinc etiam; juxta Eſpagnetium & Pet. Jo. Fabrum, evidens eſt, quomodo illa dudum exploſa, quia non intellecta, Pythagoricorum μετεμψύχωσις admittenda ſit. III. Cætera, *formæ hujus, ceu efficientis vires & munia* hæc ordine ſeſe exerunt; 1. Forma priſtina cum ſubordinatis aliis, ſub novæ imperium jugumque cogitur, exauctoratur, nonnunquam etiam ad certum usq; tempus, ſuſpenſa ſaltem tenetur. 2. Transmutans forma elementorum in mixturâ ac temperaturâ proportionem, in aliam ſibi congruam convertit. 3 Vi ſuâ metaplaſticâ novam quoq; inorganico corpore ſtructuram, facultatibus, uſibusque ſuis idoneam, efformat, atque perficit. 4. In cyclica demum tranſmutatione, nova hæc forma,

P. R. Can. 182. Pallad. Spag. c. 22.

ma, priſtinæ quandoq; cedit ac ſuccedit. Sic mutuam ferri & cupri, upupæ & accipitris, erucæ & papilionis metamorphoſin dari, fide dignum cenſetur. Tantum de efficiente cauſa per ſe.

Theorema XV.

Cauſa ex accidenti *efficiens*, *in* poſitivam *atque privativam diſpeſcenda eſt, harum priorem in temporum locorumque diſcrimine ſitam eſſe dicimus.*

Ἐξήγ.

Temporis atq; loci nullam eſſe energiam, ex Phyſicis & Logicis conſtat. Hiſce tamen per extrinſecam ac metonymicam denominationem, à Philoſophis, Oratoribus ac Poëtis, quælibet actio atq; mutatio irrogatur, quæ
Eccleſiaſt. cap. 3. aſtris potius, uti ex ſacris liquet, irroganda eveniret. *Speciatim* verò, transmutationi idoneum *ver* magis eſt, quam æſtas & autumnus; hæcque magis quam hyems, niſi genialis calor humorque aliunde accerſatur. Sic etiam fluxilis ac flexilis ſexus & ætas, virili ſexu ac ætate mutationibus obnoxiores ſunt. Ipſi etiam motus termini, certis temporum articulis atque periodis circumſcribuntur. Suum nempe cuilibet mutationi initium & argumentum, ſuus ſtatus ac delineatio, debentur. Quidni ergò transmutatio quoque ſuam auroram, meridiem, veſperam atque noctem ſuam experiatur? Diverſa ad hæc *locorum* & *matricum* ingenia, non intervalla, non ſitus, ac menſuræ æſtimantur. Nuda tamen locorum denominatio, indolem ipſam implicitè involvit. Loca itaque humida & calida putredinis perinde ac generationis utriusque officinæ ſunt. Hæc faciunt regiones maritimæ, aër uliginoſus, vaporoſusque in convallibus, terræ viſcera & crypta occultæ. Ita ſub linea æquinoctii, uti navigatores narrant, in Inſula D. Thomæ, atque in Guineæ Africanæ regno, ubi Æthiopum maxima pars habitat, citrò putrent omnia, quia multis vaporibus è mari per Solem attractis, (quo tempore Sol meridianus verticem tangit) tum etiam ob lunæ continuam propinquitatem, cœlum nubiloſum, & valdè pluvioſum eſt. Prout *Adrianus Spigelius*, Med. Celeberr. & *I. B. Helmontius* memorant. Totus adeò ac præcipuus diverſitatis hujus cardo in vario ſuperiorum ad inferiora ſitu, quoad zonas, plagas & climata; tum denique præter Poli ac Soli ſymmetriam, in ipſius telluris alia atque alia indole vertitur. Eadem requiſita ad artem etiam transmutatoriam neceſſaria eſſe, legi artis ac naturæ conſonum eſt.

de feb. ſemi-tart. lib. 2. cap. 1. de form. ortu. §. 54.

Theo-

Theorema XVI.

Privativa *per accidens gemina eſt,* remota *nempe & ultima. Illam* remotio *impedimentorum, ac* negatio *mediorum circumſcribit.*

Ἐξήγησις.

Omnimodè; ſicut unius corruptio alterius eſt generatio: ita à διακρίσει ad σύγκρισιν, ab ἀφαιρέσει ad σύνθεσιν, ab ἀναλύσει ad γένεσιν tendit natura. Quapropter ex parte ſubjecti transmutabilis, formæque decedentis, eadem naturæ calcanda eſt via. I. Per *remotionem ac ſubtractionem eorum, quæ neceſſario, commodoq; uſui hactenus fuere*; Hæc etenim novæ formæ obſtaculo eſſe ſolent. Sic ante omnia ſedes nativa & priſtina matrix vel localiter mutanda eſt, quod transplantando contingit; vel qualitativè alterari cupit, quod à diverſa atque aliena impreſſione efficitur. Abinde, pabulum omne jam influxum, receptumque vel exhauſtu, vel ſuffocatu ademptum eſſe oportet. Cui comes accedat neceſſe eſt, calor internus per externum & ſympathicum evocatus. II. Non minus, *mediorum quoq; nondum adeptorum, ſeu adipiſcendorum denegatione, prohibitione ac interceptione opus eſt*; His namque præſentibus, nulla expectanda erit transmutatio. Alimentum ergò extus affluens ſurripiendum; Spiritus & calor influens excludendus. Et breviter; Nihil non tollendum, quod ad priſtinæ formæ ſuſtentaculum & propugnaculum facit. Interea, notatu dignum, haud ubique conjuncto omnium iſtiusmodi requiſitorum concurſu opus fore. Variam quippe faciem induunt, tàm cauſæ, quàm ſubjecta, nec iisdem ſemper craſeos mixtionis, menſuræ, copiæ, viriumque modis, terminis, atque gradibus gaudent.

Theorema XVII.

Ultima *eſt, temperaturæ, mixturæ, ſtructuræque ſolutio, cum priſtinæ formæ ceſſatione.*

Ἐξήγ.

Qualis artifex, talis ejus officina. Qualis forma, tale ejus ſubjectum eſſe oportet. Nova igitur forma nonniſi cum novâ maritatur materia, nec niſi in apta domo, aut fabrica, vices viresque novas exercere valet. Si verò materia aliqua jam ante cum forma ſua ſpecifica copulata fuerit, ne-

ceſſum

ceſſum utique erit, matrimonium primum diſſolvere, antequam materia illa viduæ inſtar nubilis reddatur. *Diſſolutio* autem fiat oportet ultimi vinculi, in ordine ad formam priſtinam abrogandam. Neque verò *totalis* ſubaudiatur hîc ſolutio, quàm extremam corruptionem ſalutant, ſed *aliqualis*, quæ corruptio generativa audit, nec totum ſubjectum tollit, ſed accidentalem ejus conſtitutionem nonnihil abjicit, ut duntaxat imperfecte mixtum quid ſuperſit. Cum itaque κράσεως & μίξεως καὶ διαπλάσεως priſtinæ, nullam cum nova forma harmoniam eſſe videamus, adeo illa hujus vires non poſſit non impedire, propterea impedimentum hoc removendum erit. Quamdiu nempe triga illa, ſive triplicatum vinculum perſtabit, tamdiu inviolata durabit priſtina forma, quamdiu hæc caſtra ſua tuetur, tamdiu nullum novæ formæ in illam jus atque robur erit, quamdiu hæc priorem ſceptro & enſe ſuo non ſpoliabit, tamdiu nulla imperii naturalis transmutatio formalis conſecutura eſt. Sic ergò tandem prioris formæ *ceſſatio* ſupervenit. Ceſſationem dico, mitiore termino, non ablationem, aut interitum. Si namq; reciproca datur transmutatio, ſi plantarum etiam incineratarum reſuſcitatio factu poſſibilis eſt, ſi denique ſpontanea ex putrefactis corporibus generatio locum habet, quæ omnia & oculos & calamos magnorum virorum, ceu teſtes adducere poſſunt, ecquid aliud exinde argui poterit, quàm formas ſpecificarum operationum illarum cauſas adhuc ſupereſſe, ac quondam delituiſſe quaſi ſopitas, ſuo tempore experrecturas? Sufficit ergò ad transmutationis opus, formarum ceſſatio ratione officii; nec enim requirimus nec aſſerimus ceſſationem quoad eſſentiam & exiſtentiam abſolutam.

THEOREMA XVIII.

Cauſæ efficienti materia *ſuccedit* ex qua & circa quam, *eaq; vel* primaria *vel* ſecundaria *eſt. Prior eadem cum ſubjecto trans mutationis eſſe ſolet.*

Ἐξήγησις.

Materiam & materiatum idem conſtituere poſſe ſubjectum, apud Philoſophos inſolens non eſt, qui tritum illud, rem conſideratam inter, modumq; conſiderandi diſcrimen norunt. *Materia ex qua* non permanenti, ſed *tranſeunti* locum hîc concedimus. Talis eſt remoto ſenſu, corpus transmutabile quodvis. Proxima via huc tendit, idem corpus ſed forma

& con-

& conſtitutione ſua ſpecifica exutum, inq; limum, ſive ſpermaticam quandam maſſam præcipuè converſum. Eadem hæc materia in ordine ad effectum novæ ſpeciei, dicitur *ex qua*; In ordine ad formam transmutantem vocatur nobis *circa quam.* Materiæ eſt, potentia ſua paſſiva, ac diſpoſitione receptiva, ſeſe inſtar ceræ fingendam ſubjicere. Formæ eſt, vi ſua plaſtica & architectonica materiam illam ingenioſè tractare, fingere & elaborare. Nonnunquam verò, quod diffitendum non eſt, *per admixtionem, materia quæpiam extranea,* principali ſeſe admiſcet, intentum naturæ adjuvans & maturans. Sic ergò materia generationis, tranſit in materiam conſtitutionis, hæc verò in ipſum per μεταβολὴν conſtitutum corpus, ita ut unum idemque numero ſubjectum involvant. Rationi qui fidem derogabit, experientiæ ſtultorum magiſtræ ſubſcribat. Nunquid ex eodem caſeo vermes, ex eodem pane chylus, ex eodem chylo ſanguis, ex hoc porrò carnes, nervi, venæ, oſſa, aliæque partes producuntur? Annon ex eodem quoque purpureo corporis noſtri ſucco, ex aurea illa Salomonis ſcaturigine, res toto genere præter naturam, uti Medicorum filii loqui amant, progignuntur? Exemplo ſint, extra corpus pulices, intra corpus vermes hic & illic reperti. Comprimis verò huc facit vermis ille umbilicalis, qui Germanis Beigs-Wurm/ Geitz-Hunger- oder Hertz-Wurm vocatur, & ex ſangine in vena umbilicali relicto inibique putrefacto, peculiari modo interdum natales ſuos ſumit. Hujus αὐτόπτην ſe producit præclarus ille Medicus, J. Georgius Brengger, in Epiſtola quadam ad Phil. Höchſtetterum, Medicum quondam Auguſtanum celeberrimum data. De eodem etiam D. Matthæus Müller, Profeſſor olim clariſs. Academiæ hujus, diſputationem aliquam habuit. Meminit etiam trium vermium palmæ longitudine per umbilicum excretorum inſignis ille Medicus Zacutus Luſitanus. Nec deſunt plura hac de re exempla ab aliis confirmata.

Eccleſiaſt. cap. 12. v. 6.

I. R. Camerar. memorab. Med. Cent. 12. 95.

Prax. admir. l. 2. Obſ. 40.

THEOREMA XIX.

Materia ſecundaria, *vel ut fermentum; vel ut pabulum ſeſe habet.*

Ἐξήγησις.

De Subjecto fermentationis primò conſtare debet. Tale eſt corpus mixtum animale & vegetabile, excluſo præcipuè minerali & metallico corpore, ob ſummam hujus fixitatem. Neque tamen obinde ex transmuta-

tionis officina eliminanda ſunt. Homogeneum namque in aliud ſymbolicum ſibi homogeneum, abſque fermentatione prævia tranſire poteſt, quia ſola quandoque miſcibilium & qualitatum proportio vi formæ mutata ſufficere poteſt. Hoc modo ferrum in cuprum, & hoc rurſus in ferrum; ſic & lignum in lapidem abſque fermento pertranſeunt. Ubi autem diaplaſis, ſeu organica ſtructura mutanda eſt, ibi fermentum quoque interveniat neceſſe eſt. Subjectum igitur transmutabile, cum ſit corpus probe unitum & concluſum, ſimulque, uti ex prædictis patuit, ſolvendum ſive à concretione ſua liberandum, ideoque inſtrumento & clave opus erit ſolvente & ſequeſtrante partes miſcibiles à ſe invicem, idque Philoſophis ſpagyricis fermenti nomine venit, quod dicunt eſſe ſpiritum quendam acidum, volatilem ſulfureum & ſalinum, in humido aqueo & aëreo turgentem, qui vi penetrativâ & ſegregativâ potenter pollens, corruptionis & generationis, ſolutionis & transmutationis organum ſit. Eſt itaq; ſpiritus ille clavis mixta ſolvens, qualis ſeſe prodit in fermento farinaceo, quod vulgò Höfel vocatur. Exerit etiam ſeſe in fermento cereviſiæ, das Haupt aliàs appellatum. Nec naturalem viſcerum Oeconomiam eo carere poſſe, evincit humor ille acidus in pecorum ventriculis inventus, quem die Rennin nominant. Talem quoque ſpirituoſum & fermentantem humorem, noſtris ingenitum eſſe ſtomachis indubium eſt. *Non is craſſus eſt, ſed tenuis*, inquit Phil. Hœchſtetterus, *docet is humor in os aſcendens famelicis, qui planè ſeroſus, ac acidularum tenuitatem & aciditatem æmulatur.* Hic idem, fermentat quaſi chylum & exagitat, hic palatum & linguam humectans, dentesque feriens, ptyaliſmos excitat acidos, ſeroſos atque tenues. Hic ille fortaſſis liquor eſt, quem *Lympham Bartholinianam*, à Thoma Caſp. F. cum vaſis ſuis detectam deprædicant, cui non modò χυλώσεως, ſed & αἱμαλώσεως καὶ πνδυμαλώσεως uſum aſſignant, quem etiam ejus (experimento propriâ quorundam anatomicorum linguâ facto) aciditas comprobare videtur. Vaſorum hujusmodi lymphaticorum ductus aliquis in linguam inſertus, ſalivalem fundit humorem, qui cibis in ore maſticatis evidens fermentationis rudimentum imprimit. Plura quidem de fermento ejusque differentiis expendenda eſſent, ſed brevitas aurem vellicat. De *pabulo* nunc pauca: Hoc, factâ per fermentum, humoremque idoneum ſolutione, formæ ſe ſubjicit cujus ad augmentationem & conſervationem virtus opusque fervet. Interdum namque materia ex quâ in ſe non ſufficit ad juſtam transmutandi corporis conſtru-

Obſ. Medic. Dec. 5. Cas. 1.

ctionem

ctionem perficiendam, ſed alia inſuper indiget extrinſecus adſcita & admixta materia, quæ nutrimenti, ſupplementi vel menſtrui cujusdam ſucci vicem nomenque ſupplere poterit. Hujusmodi verò materia vel ex aqua, vel ex aëre, vel ex ſucculento terræ limo adoptatur; Ita ex putridis lignis nonniſi affluente pluviali, vel alio quodam proportionato humore mures & vermes emergunt.

Theorema XX.

Jam tandem finis *cauſarum clauſula reſtat. Is* per ſe *vel internus & phyſicus; vel externus eſt, ex triplici jucunditatis, utilitatis ac honeſtatis fonte promanans. Per* accidens *verò, damnum & noxam ſecum fert.*

Ἐξήγησις.

Uti transmutationis opera, inter naturæ admiranda jure recenſenda: Ita ad omnipotentiæ ſapientiæque divinæ cognitionem, celebrationem & admirationem, illuſtre nimis argumentum præbent. Et hæc eſt meta metarum. In ipſo Naturæ foro, pro *interno primario fine*, ſtabit vindicatio mixtorum à totali corruptione, imò etiam perfectio eorundem, quando ignobile & vile genus, ex Codro in Crœſum elevatur. Succedit huic *ſecundario* jure, varietas Naturam delectans, ornatusque Mundi haud obſcurus. Quoad *externum* finem, ſi *jucunditatem* ſpectemus, quantam transmutatio parit & infundit nobis delectationem ac admirationem? quàm egregiam creatricis potentiæ adhuc continuatæ contemplationem excitat? Quis non *ad honeſtatem ac pietatem* aſſurget; qui in hoc Naturæ interludio, regenerationis ſacræ, & reſurrectionis glorioſæ ſimulachrum intuetur? Quam concinnê, aurum artis ope in vitrum transparens converſum, gratam ſanctioris illius Hieroſolymæ futuræque clarificationis recordationem inſinuat? Illius enim civitatis platea à Spiritu Sancto ex auro mundo, vitri inſtar pellucido conſtructa dicitur. Quid de *utilitate* dicamus, quæ plenis hinc inde ſe effundit alveis? *Literatorum ordo* lucem hinc fœnerabitur, ad intelligendas tàm ſacras, quàm profanas poëticasq; transmutationum hiſtorias. Tum etiam perlegantes inde decerpet metaphorarum, allegoriarum, emblematum, hieroglyphicorum & proverbiorum floſculos, ſi cui de meliore luto finxit præcordia Titan. Neque inſuper

Apoc. c. 21. v. 21.

Oeconomia, nec *agricultura*, nec *mechanicæ & metallicæ* comprimis *artes*, ex naturæ imitamine, vel applicatione, emolumenti alicujus expertes erunt. Omnium autem præcipua eſt *Medicina*, quæ inſignes hinc acquirit uſus, ſive nutritionis opus; ſive humorum & partium, in res toto genere præter naturam converſionem; ſive curationis inventionem ponderare ſatagat. Unde etenim, niſi ex hac doctrina, reſtitutionem ſubſtantialem in priſtinum ſtatum didicit? Unde niſi ex eadem, transplantationis ſive transpoſitionis curam hauſit? unde nam artificioſam pharmacorum quorundam elaborationem, niſi ex metaplaſtica naturæ officina acquiſivit? Hæc de bono fine, malus verò qui *per accidens* talis eſſe dicitur, conſpicuum ſe facit in variis ſegetum, arborum, animaliumque morbis atque noxis. Verùm hoc vindicis iræ divinæ opus eſt, quando flores & rores in erucas, folia & gramina in fœdum nocivumque inſectorum gregem commigrant. Sic male clauſum tritici acervum in papiliones abiiſſe, èque granariis Euclionum avolaſſe non inſolitum eſt. Memoratur etiam de Herode Aſcalonite, de Sylla, de Honorico Vandalorum, de Henrico V. Angliæ, deque Philippo II. Hiſpaniarum regibus, omnes hoſce fœdiſſima phthiriaſi extinctos pœnam DEO dediſſe. Etſi autem, uti inextinctum illud ſeculi hujus lumen, Magnus noſter LANSIUS b. m. judicat, *horribile hoc mortis genus ad naturales cauſas referri ſolet à Medicorum filiis, tamen religioſius cenſeo, cum Ægyptiorum Magis, digitum DEI in tam notabili caſu ſuppliciter venerari: præſertim cum antehac nullus excelſæ dignitatis Princeps interierit tali mortis genere, niſi qui vel ſæviendo, vel divinos honores affectando humanitatem exuiſſet.*

Orat. cont. Hiſp. p. 442.

THEOREMA XXI.

Ætiologiæ hujus compendium eſto: Modus & Ordo *transmutationis, per arctiorem cauſarum concatenationem exhibitus.*

Ἐξήγησις.

Naturæ lex & lux eſt Ordo, qui gradus, terminosq; amat. Proinde in Phyſicæ metamorphoſεως negotio, I. limen occupat *alteratio* ſubjecti transmutabilis, ab externo quodam affluxu & influxu, ſive corporeo, ſive ſpirituali, per geminum nempe contactum, tàm ſuppoſiti, quàm virtutis, comprehendimus hîc effluvii alterantis emiſſionem, reſp. termini à quo; transmiſſionem ratione termini per quem; Impreſſionem, apprehenſionem

nem ac retentionem, tandemque retenti operationem per nudas qualitates factam. II. Alterationem excipit *unitatis ſolutio* per actionem ſegregativam, mutata namque craſi, ipſa jam partium unio vacillat. Tunc autem per fermentantem, menſtruumque humorem, aut vaporem, volatilia, fluida, minusque fixa à craſſis, fixisque primò ſequeſtrantur atque evocantur. Hinc ab initio ſpiritus calorque internus influens, mox humidum diffuſum, denique ſolidiores fixioresque partes mutuum unionis vinculum deſerunt, formæque priſtinæ dominium reſpuunt. Neque tamen manifeſtè ſenſibili hac putredine ubique opus eſt, cùm & proportionis elementaris vix notabilis mutatio nonnunquam par eſſe queat. III. Ubi ergò vera ſolutio facta eſt, ſuccedit illi, vi novæ formæ vel communicatæ, vel evocatæ, nova partium *congregatio ac unio*, absque tamen determinata ac ſpecifica totius figura. IV. Huic poſtremò proxima adhæret *ſubſtantialis converſio* ad ſummum progreſſa, atque in novam perfectamque mixtionem atque craſin, à forma limitatam unicè tendens, quæ modò ſimplice contenta eſt partium externarnum figuratione, velut in homogeneis corporibus; modò operoſiorem & architectonicam diaplaſin atque ſtructuram inducit, quæ heterogeneis & organicis duntaxat corporibus conceſſa eſt. Huncce transmutationis modum author Phyſicæ reſtitutæ ita depingit: *Soluto mixto, & vitio corruptibilium elementorum in ruinam lapſo, in patriam recedit Natura ætherea, fitq́ in cadavere perturbatio & confuſio elementorum ſuo rectore amiſſo: tunc dominantur corruptio, mors & tenebræ in materiâ deſolata, donec ipſa per corruptionem ad novam generationem apta fiat, & ſecundum ejus diſpoſitionem virtus cœleſtis denuò influat, ac errantia colligens & miſcens elementa, novæ formæ lumen debile accendat, quod tandem roboratis ſenſim elementorum viribus eluceſcit, & recens mixtum abſolvit.* Hoc tamen canone, transmutationis ſaltem partialis ac ignobilioris via docetur, quæ ſuo quoque modo ad perfectam transferri poteſt. Plus lucis rei huic haud in aprico ſitæ, exemplum hoc de muribus ex Helmontio petitum affundet: *Intra paucos dies, puta 21.* inquit ille, *fermentum induſio hauſtum, & odore granorum mutatum, ipſum triticum, ſua pelle incruſtatum in mures transmutat, qui non quidem parvuli aut lactentes, nec minutuli aut abortivi, ſed prorſus formati exſiliunt.* Modus hic eſſe videtur: 1. Occluſa tritici grana, à geniali & fermentante cum induſii, tum tritici vapore unito alterationem ſubeunt. 2. Poſteà in maſſam quandam ſpermaticam ſolvuntur, triticique forma ſenſim quaſi ſuffocatur; intra ſpatium dubio procul ſeptidui. 3. Forma dehinc mu-

Can. 183.

de imag. fermenti, §. 9.

rina

rina emergit, quæ ſolutam atque humidam tritici ſubſtantiam movere, ſubigere & fingere incipit, donec indigeſtæ illius partes juſtâ congregatione, ſolidâ unione, concinnâque configuratione, reliquis 14. diebus, abſoluta, in perfectum muris corpus convertantur.

Theorema XXII.

Nunc à cauſis ad effectum *transmutationis, qui eſt corpus ſpecificè transmutatum.*

Ἐξήγ.

Omnium cauſarum & actionum Horizon eſt effectus, quem cauſis ſuis concentricum eſſe oportet. *Exeſſe* ergò *jubemus*, corpus accidentaliter duntaxat mutatum, ut & quoad eſſentiam ab omni ſpecie degenerans, quale eſt monſtrum, nec non omne illud corpus, quod ex aliis nihil huc facientibus transmutationum ſpeciebus ſubortum eſt. Ejusmodi autem *corpus, pro genuino effectu habetur, quod cauſis ſubſtantialibus hactenus recenſitis per ſe & proportionatè reſpondet*, hæ namque omnibus perfectè mixtis competunt. Tales cauſæ ſunt 1. Forma interna peculiaris ac ſpecifica, tàm transmutans, quàm transmutatum ſubjectum informans & perficiens. 2. Materia ex omnibus elementis proportionatè conflata atque unita. Quibus 3. accedunt proprietates, operationes & effectus omnes, teſtium inſtar, cauſas illas de ſubjecto demonſtrantes. Ipſo autem ſenſu evidens eſt, haſce palmares dotes ſibi vendicare, omne corpus mixtum, quod ad certam aliquam corporis à DEO creati, & hactenus naturæ lege continuati ſpeciem reduci poteſt, nempe, vel ad metallicum, vel ad vegetabile, vel ad animale corpus. Cum ergò transmutationis effectus hujus ſit ordinis, quis, quæſo, inficias iturus eſt, *corpus perfectè mixtum*, veri effectus nomine hîc ſalutandum eſſe. At *ſtrictè magis*, hoc ipſum, prout *ſpecificè transmutatum* eſt, intelligendum venit, quia vel ex diverſi generis, vel ex diverſæ ſpeciei perfecto præprimis corpore immediatam duxit originem, uti experientia ſuperius memorata abunde liquet. *Theor. 2.*

Theorema XXIII.

Hactenus transmutatione membratim inveſtigatâ, operæ pretium eſt, ut ſtrictim, huic eam includamus defi-

definitioni: Transmutatio eſt generatio ſecundaria, corporis mixti ſubſtantialiter transmutabilis, quâ illud per formam transmutatricem, ex uno eodemque corpore mixto, aliud corpus totâ ſubſtantiâ à priore diverſum producit ac producitur.

Ἐξήγησις.

Fracto cortice ad nucleum à ramoſa arbore ad ſemen, ab analyſi ad geneſin, videlicet ad definitionem tendimus. Hanc ob eſſentiales terminos quibus conſtat, ſatis adæquatam, neq; latiorem vel ſtrictiorem æquo eſſe judicamus. Eſſentiales termini ſunt Genus & Differentia. *Genus* eſt Generatio ſecundaria. *Differentiæ* munus obeunt, ſubjectum, efficiens, proxima & effectus finis loco poſitus. Circa hanc tamen definitionem notela opus eſt aliqua. Cùm transmutatio, præ ſimplicioribus aliis naturæ actionibus, heteroclita quædam actio eſſe videatur, ideoque ſciendum, quod Definitio hæc tàm actionem quàm paſſionem involvat, quia ſubjectum tum agens, tum patiens, effectusque ipſe cum materia ſua ex qua, unum idemque numero corpus junctim conſiderando, conſtituunt, atque ſic ſolo conceptu differunt, quæ tamen ſucceſſivè diſtinctis demum mutationis temporibus, reale aperiunt & ſortiuntur diſcrimen, hoc ordine ſibi ſuccedendo, ut primò corpus transmutabile, in ſpecie ſic dictum, ceu paſſivum ſubjectum, reſpectu formæ ſuæ amittendæ ſeſe ſiſtat; Denique idipſum corpori transmutanti cum nova forma jam ſplendeſcente cedat; Ac tandem transmutatum, ſive per transmutationem productum corpus, effectus nempe, ultimò emergat. Tantùm de definitione, quà *quid ſit* transmutatio enodatur. Succedit diviſio quâ *quotuplex* illa ſit evolvitur.

Theorema XXIV.

Omnium ultima, ex prædictis omnibus fluens, agmen claudit diviſio, *tàm* eſſentialis, *quàm* accidentalis.

Ἐξήγ.

Ἐξήγ.

Præmiſſa quidem eſt aliqua in primo theoremate diviſio, ſed ea homonymias evitandæ cauſa, nominalis potius dici meretur, quam realis, quam genuinam & Phyſicam eſſe uti fas eſt: ita nunc enucleamus. *Eſſentialem* verò primo vocamus eam, quæ efficientis, formæ, materiæ & effectus ratione ſequitur. Eſtque ſic transmutatio, alia *generica*, quæ fit de genere in genus, ex regno ſcilicet minerali in vegetabile, & ex vegetabili in animale, & viciſſim; alia *ſpecifica*, quæ intra ejusdem ſpeciei cancellos perſiſtit. Cujus utriusque exempla ex Theoremate Secundo petantur. *Accidentales* diviſiones, quæ diſtinctiones potius appellandæ ſunt, à variis deſumimus reſpectibus. Itaque 1. *Efficientis* ratione, transmutationem aliam *naturalem*, legitimam atque ordinariam agnoſcimus, quæ ex cauſis per ſe ortum ducit; aliam è diverſo *præternaturalem*, irregularem, illegitimam atque monſtroſam dicimus, cujus ſcil. effectus ſunt monſtra, ea præcipuè, quæ ex diverſarum ſpecierum mixtura, cum prædominio tamen alterius naſcuntur, cujusmodi ſunt muli majores, equo quam aſinæ magis aſſimiles; aliam deinde *mediam* facimus, quæ artificialis dicta, partim naturæ, partim artis ope, veluti metallorum transmutatio ſeſe habet, peragitur. Porrò, eadem eodem reſpectu, modo *ſine*, modo *cum violentia* fit, quemadmodum in petrificatione contingit. Alia demum *interna*, alia *externa* ſalutatur. Hæc, quando cauſa & forma transmutatoria ab extra communicatur & adoptatur à ſubjecto. Hoc modo, argento vivo, mediante tinctura, auri forma infunditur. Interna eſt, quæ à formâ ſubordinatâ eductâque efficitur. 2. *Subjecti* beneficio, multiplex prodit transmutatio, nimirum *mineralis*, *vegetabilis*, *animalis*. Ut &, *totalis*, vel *partialis*. Sic viſcerum & partium quarundam corporis noſtri, præſertim lienis renumq; in tartaream ſcirrhoſamq; ſubſtantiam converſio, partialis duntaxat habenda eſt. 3. *A materiali* diſcrimine transmutationem deducimus, & *determinatam*, ex corpore jam elaborato factam; Et *indeterminatam*, quæ materiam ſupponit catholicam, multiformem, ſed confuſam, qualis eſt limus atque lutum unctuoſum, ut vocant, ſive ſpermaticum, ex quo, per vernum Solis calorem, ranæ, bufones, bruchi, & alia oriuntur inſecta, quæ alioquin inter ſponte naſcentia recenſentur. 4. *Si finem* reſpiciamus, transmutatio *in bonam & malam* ſive noxiam dividi poteſt. 5. Omnium naturalium cauſarum intuitu, alia *completa* ex corpore mixto in aliud mixtum, ſecundum omnes

cauſas

cauſas procedit; alia *incompleta* eſt, ubi una vel altera cauſarum abeſt, prout coſtæ Adamicæ in Evam converſio ſe habet, quæ ratione materiæ & formæ, & finis quidem debita transmutatio eſt, verùm quia nec efficiens, nec modus efficiendi naturalis, ſed hyperphyſicus eſt, idcircò pro naturali incompleta ac partiali æſtimanda venit. *6. Modi ac termini* reſpectu, alia *directa* eſt, ſimplex & unica; alia *indirecta*, cyclica & reciproca, quæ binas involvit transmutationes; talis apparet in cupro ex ferro, inque hoc ex illo viciſſim reconverſo. 7. A graduum differentia, transmutationem jam *perfectam* & abſolutam; jam *imperfectam* dicere licet, ſive adhuc inchoativa, ſive conſummata ſit. His coronidis loco, transmutationis *Oppoſitum* ſubjicio, nempe *corruptionem*, quæ illi, prout *omnimodam* in principia ſua, tanquam diſcerpta Virbii membra reſolutionem materialem ac formalem dicit, latè opponitur, ſtrictius verò aliqualis ſaltem, quam putredinem & corruptionem *generativam* vel *transmutativam* cognominare fas ſit, opponi poteſt. Nimirum corpus transmutandum, antequam nova imprægnetur forma, in medio & ambiguo quodam ſtatu fluctuat, tranſitque in materiam, quæ omni forma informante caret, atque ſic primum inter atque ſuccedaneum corpus, vacua, nuda & informis incedit. De *analogis* dicendum quoque foret transmutationis ſpeciebus, niſi jam in ipſo tractationis hujus limine, ſub homonymica explicatione recenſita fuiſſent, iis ergò acquieſcendum. Tantillum eſt, quod de dedalæo hoc naturæ parergo nobis delineaſſe licuit, cui verò cerebrum in diviniorem Palladis arcem commutatum eſt, is plura & majora noſtris facilè editurus, quæque nos marmorea fecimus, ille aurea facturus eſt. Nunc Proteus noſter cum Vertumno, Nereo, Circe, Empuſa, cæteriſque verſatilis hujus globi ſociis ad cataſtrophen venit, in antrum ſuum ſeſe recepit, pluraque ſcribendi anſam ſurripuit. Pennam itaque cum lingua, in publica philoſophandi palæſtrâ commutare jam ſupereſto. Interea ſicut Athenienſes exhibitam prima vice fabulam haud repudiarunt: perinde & nos ſperamus peculiarem hanc, novam & à nemine hactenus, quantum nobis conſcii ſumus, integrè pertentatam de Transmutatione diſſertationem haud exploſum iri. At tandem

DEO

Immutabili ſit gloria & gratia immutabilis, in ævum immutabile.

Epimetrum vacua permittente pagella ſuperadditum.

Cùm in Theoremate XIX. ſalivalis humoris, cibum nonnihil fermentantis mentionem fecerimus, placuit in gratiam eruditi & curioſi Lectoris pauca hæc ſubnexere: Glandulæ ſub media hominis maxilla, proinde maxillares dictæ, primo earum inventore *Thoma warthono*, Medico Anglo Celeberrimo, conſpicuæ ſunt, è quibus ductus ſive tubuli ſalivales vocati, humorem ſugunt, & in os eructant ſalivalem. De his Clariſs. Leydenſis Anatomicus *Ioann van Horne* ita diſſerit: *Ductus illos manifeſtè cernimus humiditatem intra ſe continere, & per foramina, ſi inſufflentur emittere: imò; ſi eorundem ſub linguæ fræno terminum perpendamus, probationis loco ſerviet nobis Cl. Riolani obſervatio, quam habet Antropol. l. 4. c. 10. ubi ex malè ſecto frænulo, majori copia ſalivam in os effundi, imò involuntariè profluere, animadvertit, quod non ob aliam cauſam contingere, quam ex horum ductuum læſione, evidens nunc eſſe puto. Adde, quod unusquisque in ſemetipſo experiatur, clauſis undique dentibus, motoque ſolo linguæ apice, ſurſum deorſum, ſalivam pervenire ſub linguam copioſam, remanentibus interim ſiccis partibus oris & linguæ poſterioribus; Præſertim verò, ſi arctatis undique in ore muſculis, glandulæ & ductus comprimantur, copioſiorem exprimi.*

Adeno-graph. cap. 21. Disquiſit. anat. prim. Theſ. ult.

Errata.

pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
4.	32.	ſeu	&
5.	penult.	ſenſum	ſenſuum
12.	ult.	in	à
13.	11.	actio eſt, *adde* quodam modò	
18.	antepen.	degenerat, *adde* in.	

I. Or-

I.

Ornatiſſ. Dn. Reſp. Cand.

NOn mutat nomen Tua TRANSMUTATIO, verum
Addit perſonæ nominis ante decus.
Diſcipulus Sophies acie qui ſtare ſub ipsâ
Nunc audes, artis deinde Magiſter eris.

Sic feliciter ominando
ἀγαθῶς τε καλῶς τε
acclamat
Balth. Raith, D. p. t. Rector.

II.

SI KEPPELMANNI noſtri ſententia vera eſt,
Quâ transmutari poſſe metalla putat,
Det demonſtrandi; plumbum transmutet in aurum.
Auri tunc alter pondere Crœſus erit.
Ingenij hæc vis eſt, ut non vulgaria tentet,
Vires in magnis experiundo ſuas.

Tobias Wagner, D. Pro-Cancell.

III.

Ad Dn. Reſpondentem & Candidatum varia virtute ac eruditione exornatiſſimum.

MObilitate viget mutato ſchemate Proteus;
Doctrina & virtus nobilitate vigent.
Sic quoque per varias artes, discrimina per tot,
Mens tibi firma manet, te ſcopus unus habet.
Hinc variis ſtudiis, hinc clarus honore Magiſter,
Mobilitate viges, nobilitate viges.

Ita benè ſentit, ſimulac de ſecunda Lauru mox adipiſcenda gratulatur
Jo. Conradus Brotbeckh/ Med. D. P.P.

IV.

CVltior ex merito peperit Tibi nomen agellus
Pulchrius ingenij dona refertque Tui.
Sed mox culta ſuo veniet ſperata colono
Meſſis & Aönio digna brabëja Viro.

Ita Dn. GEORGIO KEPPELMANNO
ominatur
M. Chriſtophorus Zeller, Calvenſis.

V.

ANcipitis *Protei* Naturæ diſcis abyſſum,
Mutato exemplar *nomine* ſis *Protei.*
Quem ſi parca rudem genuit Natura ΓΕΩΡΓΟΝ,
At benè Doctorum fingere cura poteſt,
Doctrinæque juvat Virtutem jungere, donec
Rurſus *mutata ſorte* MAGISTER abis.
Nec ſatis, ulterius tandem *mutabilis* optas
Divinæ vigilans Angelus eſſe gregis.
Perge ita *mutari* crebrò, tandemque juvabit
Nunquam mutandas incoluiſſe domos.

Benevoli affectus conteſtandi
ergò appoſuit
M. Joann-Wolfgangus Dietericus,
Tubingenſis.

VI.

CEu claves nobis clauſa atque abſcondita pandunt,
Scripturam Sanctam ſic reſerat Sophia.
Idcircò meritò Sophia *eſt tibi reddita nota,*
Pandere quò poſſis abdita Verba DEI.
Clavis ſit Σοφία, *ſacer adſit Ianitor ipſe,*
Et tibi ſic fient, clauſa, recluſa, Sacra.

Hæc ſuo
בלא לב ולב f.
M. Johannes Ludovicus Neuffer, Tub.
SS. Theol. Stud.

***